

nam potest Episcopus in foro interno absolvere. *Trident. sess. 24. de Reform. cap. 6.* Secus si sit notorium, vel deductum ad forum contentiosum. Episcopus quidem jure speciali potest absolvere ab excommunicatione ob percussorem gravem, & enormem Moniales. *C. 33. b. t. & alias quascumque mulieres, etiam si Pontificem possint adire, cum earum peregrinatio sit periculosa. C. 6. c. 13. b. t. item Clericos in eodem seminario commorantes. C. 9. de Vita, & honestat.* Impuberes etiam si post pubertatem petant absolutionem. *C. 1. c. 58. c. fin. b. t. Servos, non vero famulos. C. 37. b. t. senes, ægrotos, claudos, & ceteros, & alios, quoscumque ratione muneris, vel itineris, pestis, vel belli habentes impedimentum: ita ut eis valde difficile sit Pontificem adire. Ita tamen, ut habentes impedimentum, non perpetuum debeant jurare, Romanum Pontificem, vel ejus Legatum aditus, impedimento cessante. c. 13. b. t. nisi impuberes sint. *Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. ex n. 63. Laer. lib. 7. n. 300.* Non tamen tenentur Nuntium, vel litteras mittere, qui in sua persona sunt impediti. *Sayr. Thesaur. L. 3. c. 28. n. 38.**

419 Episcopus quidem absolvit Religiosum, non exemptum percussorem Clericum Seculare, nisi percussio gravis, vel enormis esset: nam tunc Sedem Apostolicam debet adire. *C. 21. b. t. in 6.* Imò, & Religiosum exemptum, sed cum consensu Prælati Regularis. *C. 32. b. t. Prælati Regularis etiam Locales, ut Abbates, Guardiani, Priores, vel Rectores possunt absolvere suos Religiosos, alios ejusdem Communitatis percussientes leviter, vel graviter. C. 2. b. t. Imò, & enormiter; licet non de Jure Communi. C. 50. b. t. Saltem ex privilegio; quale habent Mendicantes. Si Abbas indebitè percussit Monachum, absolvi valet à Confessario per Abbatem electo. Etiam potest Abbas absolvere suos subditos, si percussit Religiosos alterius Monasterij; sed non aliter, quam præsentis superioris percussis, ut utriusque consensu satisfactio imponatur. *C. 32. b. t.* Nisi percussoris Prælati suas vices committat Superior percussis. Idem ac de Religiosis dicendum est de Novitijs; *C. 32. b. t.* etiam si ante ingressum percussissent. Si verò ante professionem egrediantur, cum jam cesset impedimentum, & privilegium debent Pontificem adire: alias rursus incidunt in excommunicationem, *C. 22.**

b. t. in 6. Si Monachus Abbatem proprium percussit, de Jure Communi absolutio spectat ad Episcopum; sed juxta privilegia Religionum spectabit ad Abbatem Superiorem, vel poterit absolvi ex potestate delegata ipsius Abbatis. *Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. ex n. 71. Lacroix lib. 7. n. 321. Navarr. Mohm. & alij.* Regulares Mendicantes saltem possunt absolvere in foro interno; Sæculares quoscumque, etiam si percussio sit enormis; quia solum casus Bullæ Cœnæ excipiuntur in eorum privilegijs, & percussio occulta, etiam enormis, ibidem non est comprehensa. Itaque hodie post Trident. solum tenetur le Romano Pontifici sistere ille, qui, stante impedimento, fuit absolutus à non habente potestatem, vel etiam, qui fuit absolutus ab Episcopo, si censura, quæ erat occulta deductatur ad forum contentiosum; in *L. 4. tit. 9. p. 1.* afferuntur 13. casus, in quibus Clericum percussus non tenetur Romam adire, ut possit absolvi, & ibi Gregor. *Lop.*

420 Secunda censura, de qua in secunda parte Rubricæ agitur, est suspensio, quæ sic definitur: *Suspensio est censura, qua Clericus prohibetur aliquas functiones Ecclesiasticas exercere. L. 14. tit. 9. p. 1.* ibi: *Suspensio tanto quere decit, como tener el omi colgado, è non lo dexar usar de su oficio, nin de su beneficio; non gelo tollendo del todo.* Dicitur censura, in quo convenit cum excommunicatione, & interdicto per cætera verba ab ipsis differt, siquidem excommunicatio, & interdictum, etiam in Laicos feruntur: sicut suspensio, quippe solum Clerici sunt capaces officij, & beneficij Ecclesiastici, quibus privat suspensio, & licet excommunicatio privet functionibus Ecclesiasticis; privat diversâ ratione, ac suspensio. Nam hæc eis privat, quatenus sunt usus Ecclesiasticæ potestatis, quæ ab officio, vel beneficio procedit; excommunicatio verò eis privat, quatenus sunt quedam communicationes cum fidelibus. Deinde differt ab interdicto, quia hoc privat aliquorum Sacramentorum receptione, Divinis Officijs, & sepultura Ecclesiastica, quibus non privat suspensio. Hæc censura, sicut & reliquæ, vel à jure, vel ab homine inferitur, & alia est lata, alia ferenda sententia. Item suspensio alia est totalis ab officio, scilicet, & beneficio simul: qua, scilicet, Clericus utroque privatur, & talis esse intelligitur, non solum quando exprimitur in

jure; sed quando absolute, & simpliciter profertur. Alia est partialis, & potest esse, vel à solo officio: qua quis removetur ab exercitio ordinis, vel jurisdictionis: & etiam potest esse à certo beneficio; si plura habeat suspensus, vel etiam ab aliqua parte beneficij; v. g. dimidia parte fructuum. *Suar. de Censur. D. 25. sect. 2. Laer. lib. 7. n. 395.* Licet suspensio fieri debeat absolute, hoc est, sine certa temporis determinatione, aliquando pro certo tempore fertur, quo elapso, cessat, etiam sine absolute: sed hæc potest delicti poena, quam censura est.

421 Suspensionem ferre potest regulariter, qui potest excommunicare, ac proinde debet esse Clericus. Et licet in *c. 12. de Major. & obed.* videatur, Abbatissam suspensionem tulisse, non proprie suspensio, sed prohibitio fuit. *Gloss. inc. 1. de Major. V. jurisdictionem.* Et quidquid sit, an olim valide potuisset Episcopus Clericos suspendere sine consensu Capitali. *c. 1. de Executib. Prælat. c. 6. 15. q. 7.* Hodie tamen, etiam sine tali assensu possunt Episcopi suspensionem ferre: vel quia sic consuetudine est inductum: vel quia nunquam illa dispositio. *c. 6. 15. q. 7.* fuit ab Ecclesia admittita: quippe delumpta fuit à Concilio Cartaginensi Provinciali, quod ex se nequit universalem Ecclesiam obligare. Suspensio non fertur, nec à jure, neque à Judice, nisi ob culpam gravem, quia cum grave malum sit, gravem supponit culpam, ut contra *Nav. Cajet. Henr. & alios tenet com. DD.* Nisi fortè à Judice aliqua suspensio ad breve tempus feratur: nam tunc probabiliter potest ob culpam venialem imponi. *Suar. de Cens. D. 28. sect. 4. Sanchez de Matr. L. 9. D. 32. n. 9.* Et cum culpa tantum suos auctores tenere debeat, non potest ferri suspensio proprie talis contra aliquem ob alterius culpam, *c. 7. D. 56. c. 2. de His, que sunt à major. parte capit. Navarr. Man. cap. 27. n. 151. Suar. de Cens. D. 28. sect. 4. n. 3. Sanchez de Matr. L. 9. D. 32. n. 9. Laer. lib. 7. n. 396.* Si deest culpa, non est proprie suspensio, ut in *c. 14. de Tempor. ord. cap. 1. de Ordinatis ab Episc. qui renunt.* Quando suspenditur Communitas, personæ illius innocentes non suspenduntur, quoad actiones, & munus, quod exercere possunt, ut particulares; sed solum quoad actiones Communitatis, qua talis. *Laer. lib. 7. n. 396.* Ad suspensionem non requiruntur ver-

ba determinata; sed ea tantum, quæ illam sufficienter declarent. Debet tamen in scriptis ferri, ibidem ejus causa expressa. Quod si Juxta aliter faciat, per mensem suspenditur à Divinis, & ingressu Ecclesiæ, & Superior illum ad expensas, & interesse, imò & ad aliam condignam poenam condemnabit; *arg. c. 1. b. t. in 6.* Et quando ad correctionem delinquentis imponitur, debet præcedere monitio; alias non constat Ecclesiæ de contumacia: secus est, si tantum in puram poenam delicti infligatur. *c. 33. de Testib. c. 5. b. t. in 6.*

422 Suspenso proprie non potest ferri in Laicos, etiam si Religiosi sint; quamvis hæc ratione aliquomodo, sint personæ Ecclesiasticæ. Hæc namque censura dicit in suspensio capacitatem ordinis, aut beneficij, à quo suspenditur, vel ab ejus consecutione, quæ cum deficit in Laicis, hinc est, quod non possunt proprie suspendi. *Navarr. Man. cap. 27. ex num. 150. Suar. de Cens. D. 28. sect. 2. n. 1. Laer. lib. 7. n. 395.* Quando Laici suspenduntur à communione Eucharistiæ, non est proprie suspensio: sed pars excommunicationis majoris, quæ Sacramentorum receptione privat. Similiter Abbatissa; non proprie suspenduntur ab aliquo actu Ecclesiastico ratione jurisdictionis Ecclesiasticæ, vel ordinis Clericalis; sed tantum suspenduntur ab actibus, & officio Æconomico. Ut ergo aliquis proprie suspendatur debet esse viator, seu vivus. Nam mortuus non suspenditur, licet ob suspensionem antecedentem possit fructibus privari. Et insuper debet esse Clericus, saltem prima tonsura initiatus; nec obstat, quod jam alias sit suspensus: nam suspensiones non solum quando sunt diversæ rationis, sed etiam si ejusdem rationis sint, pro multiplicitate causarum multiplicari possunt. Communitas Clericalis, sive quoad communiat, sive quoad personas singulares suspendi potest. *Suar. de Cens. D. 28. sect. 3.* Suspenso generaliter lata in Clericos, etiam Religiosos, qui Clerici sint, comprehendit; sicut Episcopos, nisi de eis fiat expressa mentio. *c. 4. b. t. in 6.* etiam si tantum confirmati sint. R. Pontifex non potest ulla suspensione comprehendere: quia est supra totum Jus Positivum. *c. 4. de Consec. Præb. Suar. de Cens. D. 28. sect. 2. per tot.*

423 Cum suspensio sit odiosa, & poenalis potius retrahenda, quam extendi debet. *c. 15. de Reg. jur. in 6.* Ita ut præ-

cite intelligatur secundum verborum proprietatem. L. 17. tit. 7. p. 1. ibi: *Cà la pena non se estende à mas de quanto dice la sentencia del Derecho, ò del Prelado que la dà.* Et postea in particulari assert calus, ad quos restringitur, vel extenditur suspensio. Hinc, si suspensio absolute fit ab officio: ab omni officio, tam ordinis, quam jurisdictionis suspendit; quia hæc omnia veniunt nomine officij, ac proinde sic suspensus non poterit celebrare Missam, Sacramenta administrare, concedere indulgentias, nec eligere: imò nec ad beneficium eligi; arg. C. fin. de Cleric. excomm. quia suspensus est ab officio, propter quod datur beneficium. C. fin. de Rescript. in 6. Et probabilius erit electio ipso jure irrita; arg. c. 8. de Etat. & qualitat. Poterit tamen sic suspensus temporalem jurisdictionem, si quam habet, exercere, ingredi Ecclesiam, ibique Divinis assistere, Sacramentaque recipere, sicut cæteri Laici: quoniam & vocem in Capitulo habere, cum hoc non sit actus ordinis, vel jurisdictionis Ecclesiasticæ: Hoc enim etiam Laicis aliquando conceditur. Potestque beneficium retinere, fructusque ex eo percipere, si per aliam obligationibus beneficii satisfaciatur: alias suspensus ab officio, esset eo ipso à beneficio suspensus, & superflua distinctio fieret inter suspensionem ab officio tantum, à beneficio tantum, & ab utroque simul. Suar. de Cens. D. 26. sect. 3. n. 4. Sanch. L. 3. de Matr. D. 51. n. 12. & plures alij contra alios variè sentientes. Suspensus ab ordine, non censetur à jurisdictione suspensus, ac proinde potest ea uti, si actum ordinis non includat: ne quod una via prohibetur altera concedatur contra c. 84. de Reg. jur. in 6. v. g. Episcopus ab ordine suspensus, licet non possit audire confessiones, quia actus ordinis est, potest alteri facultatem absolvendi delegare, quia est actus jurisdictionis. Similiter, qui ab aliquo ordine determinato est suspensus, potest exercere actus ordinis inferioris, vel superioris, quatenus non includat actum prohibitum. Sic Episcopus à Pontificalibus, seu ordine Episcopali suspensus, licet exercere non possit actus ordinis Episcopalis, tamen potest exercere actus ordinis Sacerdotalis; v. g. potest audire confessiones, Missam, sine Pontificalibus celebrare, & alia hujusmodi, suspensus ab officio Sacerdotali, potest Epistolam, ut Subdiaconus: vel Evangelium, ut Diaconus cantare, Sacerdos suspensus ab ordine Diacona-

tus potest confessiones audire, vel solemniter baptizare, quia hæc actiones, non continent actum prohibitum, non tamen poterit Missam celebrare, quia hæc actio continet actum Diaconatus prohibitum. Suar. de Cens. D. 26. sect. 4. Lacr. lib. 7. ex n. 398. & alij. Suspensio à beneficio absolute lata intelligitur de omnibus beneficiis, quæ habet suspensus, nisi aliud ex intentione ferentis, & circumstantijs colligatur. c. 37. de Elect. in 6. Qui ergo à beneficio suspenditur non privatur beneficio, ac proinde non est immunis ab ejus oneribus, sed tantum beneficii administratione, & ejus fructibus privatur. c. 1. §. de Elect. in 6. adeoque beneficio suspensus, non potest illud commutare, nec resignare, nec illius bona, nec fructus vendere, &c. Cum hæc omnia administratio, quædam, & usus beneficii sit. Non tamen privatur distributionibus quotidianis, quæ ex fundatione aliqua particulari proveniunt, secus si ex ipsis fructibus sint extractæ: imò nec privatur, jure eligendi, vel conferendi beneficium, nam est distincta potestas. c. 7. §. fin. de Elect. Suar. de Cens. D. 27. sect. 1. lacr. l. 7. n. 395. & 401. contra Nav. Man. cap. 27. n. 160. Henr. L. 13. c. 32. & alios, qui jure eligendi privati defendunt.

424. Suspensio vere, & proprie talis, quæ scilicet, ut poena medicinalis ad corrigendum delinquentem infligitur solum per abolitionem tollitur. Et quidem, si à jure sit lata, & non specialiter reservata, potest Episcopus, vel ab eo delegatus ab ea absolvi. c. 29. b. t. ibi: *Quia tamen conditor Canonis ejus abolitionem, sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi.* A suspensione ab homine lata regulariter solum absolvit, qui eam tulit, vel ejus successor, vel delegatus. Et licet superior possit valide sententiam inferioris relaxare, illicitè faciet: nam licet inferioris autoritas contemneretur: licet tamen absolvi Superior, si forte sit appellatum ab inferioris sententia. c. 40. b. t. vel si ad ipsum recurratur, quia inferior sine debita solemnitate sententiam tulit. c. 1. b. t. in 6. Nec obstat textus in c. 13. §. Credentes, de Heret. nam loquitur de privato ab officio per depositum. Et c. 11. de Cler. non resident. loquitur de degradato, & ideo solum à Pontifice possunt restitui. Navarr. Man. cap. 27. n. 162. Suspensio pro tempore determinato, vel sub aliqua conditione lata, cessat, etiam abique abolitione, tem-

tempore elapso, vel impleta conditione. Quippe actus agentium non operantur ultra agentium voluntatem. L. 19. ff. de Rebus credit. tempore tamen intermedio potest tolli ab eam ferente, vel successore, vel superiore ipsius. A suspensione, quæ per modum puræ poenæ est inflicta, si proveniat ex delicto occulto, non deducto ad forum contentiosum potest absolvi Episcopus. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6. Item, & Regulares juxta sua privilegia pro foro interno. Et licet Episcopus non possit absolvi à suspensione perpetua, quæ per modum puræ poenæ est inflicta, probabiliter potest absolvi ab ea, quæ sine temporis determinatione est lata: nam talis suspensio differt profecto ab ea, quæ expressè fertur in perpetuum. Suar. de Cens. D. 29. sect. 1. n. 19. Covarr. & alij contra Navarr. Man. cap. 27. n. 162. & alios. Absolutio non requirit alia verba, quam quæ sufficienter intentionem absolventis significant, sive à puribus suspensionibus, si plures sint incuræ, sive ab una, sive ad cautelam absolvat. Suar. de Cens. D. 29. sect. 3. Nec est necessarium præmittere abolitionem à suspensione ad confessionem Sacramentalem, sicut est necessarium absolvi ab excommunicatione. Suspensus toleratus, seu non denunciatus, licet non possit licitè se ingerere exercitio, à quo est suspensus; actus tamen valebit. Si tamen à fidelibus ad hoc requiratur, & prius non possit absolvi à suspensione, licet potest illum actum exercere; secus dicendum est de denunciato: nam hic solum potest tale officium exercere in urgentissima necessitate: alias actus ejus valor ab Ecclesia dependeat, uti est iudicium, & beneficium, nullus, & irritus erit: & præterea, peccatum incurret, & quidem ex genere suo mortale, cum gravem censuram, & præceptum Ecclesiæ violat. Aliquando erit veniale ex parvitate materiæ; v. g. si ab ordine suspensus ordinis minoris officium exercet, cum hoc etiam à Laicis frequenter fiat. Navarr. Man. cap. 27. n. 168. Suar. de Cens. D. 28. sect. 5. n. 6. Lacr. lib. 7. n. 395. Violans suspensionem ab ordine, exercendo solemniter illius officium irregularis est: secus si violat suspensionem à beneficio, vel jurisdictione: quia solum pro illo casu, est stabilita irregularitas, & non debet extendi ad casus non expressos: licet violans suspensionem à beneficio debeat eo privati. c. 1. §. fin. de Elect. in 6.

425. Interdictum, est censura Ecclesiastica, per quam prohibetur participatio certorum Sacramentorum, omnium Divinorum Officiorum, & Ecclesiasticæ sepulture, quatenus hæc omnia spectant ad Divinum cultum. L. 14. tit. 9. p. 1. ibi: *Entre dicho tanto quiere decir en latin, como excomulgacion en romance, que pone por pena, sobre los logares en que hacen las cosas, porque deben ser entre dichos.* Per prima verba convenit cum alijs censuris, à quibus per ultima differt, siquidem interdictum his rebus privat quatenus sacre sunt: excommunicatio, quatenus sunt quedam cum fidelibus communicationes: suspensio, quatenus sunt actus potestatis; aut ministerij Ecclesiastici. Interdictum aliud est locale, aliud personale. Locale est cum locus immediate afficitur interdicto, ne ibi fiant functiones sacre tempore interdicti prohibita; licet extra talem locum existentes non liget. c. 16. b. t. in 6. Et hoc rursus, vel est generale, quando scilicet locus generalis, plura alia loca sub se continens interdicatur; v. g. Regnum, Provincia, Diocesis. Vel est speciale, quando unus particularis locus interdicatur; v. g. una Ecclesia. Hinc est, quod cum interdictum locale, non tam personam, quam locum afficiat, ne ibi celebrentur Divina, obligat Saculares, Regulares, incolas, externos, & etiam exemptos, nisi speciale super hoc habeant privilegium. c. 4. c. 10. de Privil. in 6. imò & ipsum, qui interdictum imposuit. Navarr. Man. cap. 27. n. 161. Lacr. l. 7. n. 414. Et quidem interdictum locale secum assert interdictum personale illorum, qui causam interdicti dederunt, ita, ut ipsi, nec in loco interdicto, nec etiam alibi possint participare Divina. c. 16. b. t. in 6. Suar. de Cens. D. 37. sect. 1. n. 15. Interdictum personale est, quando immediate ipsis personis prohibetur, ubique exercere functiones sacras per interdictum prohibitas: & personas interdictas, ubicumque committatur. c. 16. b. t. in 6. Hoc iterum, vel est generale, quando scilicet, aliquod corpus Politicum interdicatur; v. g. si feratur in incolas aliquus Regni, Provinciae, Civitatis, Collegij, vel cuiuscumque Communitatis. Vel est speciale, quod scilicet, fertur in aliquam particularem personam: vel determinate; v. g. in Titium: vel in genere, in quemcumque talis Legis transgressorum. Quodcumque ex his interdictis, vel potest esse totale, quod scilicet, habeat omnes effectus interdicti: vel tantum

partiale, quod certos, & non omnes interdicti esse quis habeat; v. g. privationem sepulturae tantum.

426 Interdictum, quando absolute fertur, & non restringitur ad certum effectum privat. 1. Collatione, & susceptione quorundam Sacramentorum. c. 43. b. t. c. 16. C. Alma mater, eod. in 6. Privat enim susceptione Eucharistiae in loco interdicto, etiam personas non interdictas. c. 11. de Penit. & remis. c. 57. b. t. c. fin. eod. in 6. In periculo mortis, undecumque proveniente, potest ministrari Viaticum, etiam illud deferendo ad domum aegrotorum cum solita solemnitate. c. 10. de Celebrat. Missar. Imo & his, qui causam interdicti dederunt, vel specialiter sunt interdicti, potest ministrari, sed non aliter quam praestita condigna satisfactione: vel si non possint, cautione pignoratitia, vel fidejussoria, vel saltem juratoria praestita. c. 11. de Penit. & remis. c. 57. b. t. c. fin. eod. in 6. Religiosi utriusque sexus habent privilegium suscipiendi Eucharistiam, etiam tempore interdicti. Extrema Unctio nequit ministrari tempore interdicti, etiam illis diebus, nec ab illis Sacerdotibus, quibus exercere Divina permittitur in C. fin. b. t. in 6. Nisi aegrotus aliud Sacramentum nequeat recipere: vel ad hoc detur speciale privilegium, quale habent Mendicantes. Ordo non potest ministrari in loco interdicto, & personis specialiter interdictis: bene tamen in loco interdicto personis generaliter interdictis. c. 43. b. t. Navarr. Man. c. 27. n. 179. Suar. de Cens. D. 33. sect. 1. n. 45. Covarr. in C. Alma, p. 2. §. 3. & alij. Matrimonium non potest celebrari a personis specialiter interdictis, si in contumacia persistant: nam obicem gratiae per Sacramentum recipiendae ponunt; imo, nec contrahi potest in loco interdicto a personis generaliter interdictis: nam matrimonium est unum ex septem Ecclesiae Sacramentis, quin possit hac ratione exui, etiam si aliunde contractus sit. c. 8. de Divort. Trid. sess. 7. Can. 1. de Sac. in gen. Et sess. 24. de Matr. Can. 1. ac proinde ejus receptio sicut aliorum Sacramentorum tempore generalis interdicti est prohibita ex generalitate. c. 11. de Sponsal. L. 15. tit. 9. p. II. ibi: Nin dar los Sacramentos, fueras unde el baptismo. Suar. de Cens. Ugolcm. Bonac. & alij. contra Covarr. in C. Alma, p. 2. §. 2. n. 7. Navarr. Man. cap. 27. n. 179. Sancb. de Matr. L. 7. D. 8. n. 2. & alios plures. Qui facile concedunt, nup-

tias non posse benedici, nisi in festivitatibus contentis in C. fin. b. t. in 6. Nec obstat textus in c. 4. de Ferijs, ibi: Quod licet ea sit Romanae Ecclesiae consuetudo, ut quocumque tempore matrimonium contrahatur consensu interveniente legitimo de presenti. Nam hoc potest intelligi; de quocumque tempore non prohibito; vel certe, quod licet possit omni tempore contrahi matrimonium, ita ut sit validum, non tamen ita ut etiam licitum sit. Ita Suar. de Cens. D. 33. sect. 1. num. 51. Baptismus ob ejus necessitatem tempore cujuscumque interdicti, etiam solemniter ministrari potest, tam parvulis, quam adultis. c. 19. b. t. in 6. Minus specialiter interdictus solum in causa necessitatis potest privatim baptizare. Similiter confirmatio cum iohannis ritibus, & caeremonijs potest ministrari quia tanquam baptismi complementum censetur. c. 19. h. t. in 6. Generaliter tantum interdictus, & ministrare, & recipere hoc potest Sacramentum; secus specialiter interdictus. c. 16. b. t. in 6. Poenitentiae Sacramentum olim tantum concedebatur moribundis, & peregrinis. c. 11. de Penit. & remis. Hodie ob ejus necessitatem omnibus permittitur, exceptis illis, qui interdicto causam dederunt, nisi prius satisfaciant; vel si non possint, cautionem pignorum, vel fidejussoribus praestent: vel si hoc non possint, libere iurent, se satisfacturos cum primum possint. C. fin. b. t. in 6. Generaliter interdictus potest hoc Sacramentum ministrare: sed cum tale interdictum, non jurisdictionem, sed tantum usum Divinorum tollat, quamvis illicite, valide tamen Sacerdos specialiter interdictus, & denunciatus ministrabit. Suar. de Cens. D. 33. sect. 1. ex n. 13. Nav. Cov. & alij. com.

427 Interdictum privat Divinis Officijs. c. 57. b. t. c. fin. eod. in 6. L. 15. tit. 9. p. 1. Nominis Divini Officij veniunt actiones Sacrae primò, & per se alicui Ordini Sacro annexae: quae à solis Clericis peraguntur, ut Sacrificium Missae, horae Canonicae, Officium B. Virginis, Psalmorum, Litaniarum, & aliarum Sacrarum precum decantatio, si solemniter in Choro cantentur. Et haec reducitur, etiam recitatio publica, & solemniter horarum Canoniarum, à Monialibus facta. Item prohibentur benedictiones chrisimalis, olei, fontis baptismalis, etiam Plendorum, aquae benedictae, velitium aut vaporum Sacrorum, nup-

rum, cerotum, in die Purificationis, Ramorum in die Palmarum, consecratio Altaris, & alia hujusmodi. Non tamen prohibentur, quia nomine Divinorum Officiorum non comprehenduntur, concio, cum non ad Deum colendum, sed ad instructionem Populi dirigatur; nec Mensae benedictio, vel recitatio privata Officij B. Virginis, vel Psalmorum absque Ordine Divini Officij, nec recitatio Litaniarum, vel Salutationis Angelicae, vel aliorum precum, vel itinerarij Clericorum, nec adoratio non solemniter Crucis in feria 6. Hebdomadae Sanctae: possuntque pulsari campanae pro concione, vel Salutatione Angelica. Etiam licent alia privatae orationes, etiam si publice in Ecclesia fiant. Imò possunt Clerici, non solum in domo privata, vel in campo, sed etiam in Ecclesia bini, vel terni dicere horas canonicas, non cantando, sed legendo. c. 11. de Penit. & Remission. Navar. in Man. cap. 27. Suar. de Cens. D. 33. sect. 3. & alij. com. Olim permittebatur tempore interdicti semel in hebdomada Missam celebrare ad Eucharistiam conficiendam pro infirmis. c. 57. b. t. Quin, & hodie, haec constitutio debet servari, quando locus specialiter, est interdictus, nam C. Alma Mater, b. t. in 6. Solum debet intelligi de interdicto generali locali, siquidem est extensio c. 25. de Privileg. quod tantum loquitur de locali generali infamigerato Text. in C. Alma Mater fin. b. t. in 6. Suspenditur interdictum in festivitibus Natalis D. N. J. Christi, Paschae, Pentecostes, & Assumptionis B. M. Virginis. Ac proinde licet cum omni solemnitate celebrare Divina, possuntque fideles Sacrificio Missae assistere; dum non sint specialiter interdicti, vel interdicto causam dedissent. Et probabiliter Eucharistiam suscipere possunt: Hanc interdicti suspensionem protraxerunt Mart. V. in Const. Ineffabile. Eugen. IV. in Const. Excellentissimum, ad festum Corporis Christi, & totam illius octavam; & Leo X. ad festum Immaculae Conceptionis pro nostra Hispania. Suar. de Cens. D. 34. sect. 1. ex n. 37. Insuper in d. C. Alma. Nec Populi devotio tepescat, & Ecclesiae priventur debitis obsequijs, conceditur, quod singulis diebus Missa, & Divina Officia possint celebrari in quibuscumque Ecclesijs, & Monasterijs: quorum nomine, etiam conventus Monialium, & Hospitalia erecta auctoritate Episcopali, comprehenduntur: secus oratoria pr...

in C. Alma, p. 2. §. 4. Sancb. de Matrim. lib. 7. D. 8. n. 13. Debent tamen Divina Officia recitari sine cantu, & submissa voce, ita ut non audiantur ab his, qui extra Ecclesiam sunt, non debent pulsari campanae, imò, nec campanula ad Sanctus, vel elevationem Hostiae. Januae debent esse clausae, nec foramen habere, quo Divina Officia videri possint; arg. Cl. 1. b. t. Excommunicati, & interdicti denunciati sunt excludendi: quin, & Laici, nisi forte admitti sit necessarium, v. g. ut in Missa Sacerdoti ministrarent. Sylo. V. Interdictum, 5. Covarr. in C. Alma, p. 2. §. 4. Suar. de Cens. D. 34. sect. 1. ex n. 12.

428 3. Interdictum privat Ecclesiastica sepultura. c. 11. de Penit. & remis. ac proinde tempore generalis interdicti non possunt sepelire fideles, etiam infantes in loco Sacro, & probabilius, nec in festivitibus contentis in C. Alma Mater, nam solum loquitur hic text. de Divinis Officijs, non de sepultura. Gloss. in Cl. 1. de Sepult. Covar. in C. Alma, p. 2. §. 5. Suar. de Cens. D. 35. sect. 1. num. 13. Lacr. lib. 7. num. 421. contra S. Antonium, Navar. & alios. Clerici (quorum nomine veniunt in presenti, utriusque sexus Regulares, imò, & Novitij) possunt sepeliri in caemeterio, & jam ex usu, in quocumque loco Sacro. c. 11. de Pen. & remis. Et probabiliter in Ecclesia specialiter interdicta, etiam aliena. Suarez de Cens. D. 35. sect. 2. n. 4. Cum silentio tamen, non pulsatis campanis, nec Officij Divinis more Ecclesiastico dicendis. Non tamen possunt, etiam Clerici, sepeliri in loco Ecclesiastico, si interdicto speciali personali sunt ligati, vel si dederunt causam culpabilem interdicto, etiam personaliter interdicti, si non sunt nominatim denunciati, in loco Sacro non interdicto sepeliri possunt: nam ex Extr. Ad vitanda. Solum post denuntiationem privantur sepultura. c. 8. de Privileg. in 6. Imò, & denunciati nominatim, si dederunt signa poenitentiae. Et tunc, etiam post mortem, prius absolventur indirectè à censura interdicti. Lacr. lib. 7. n. 421. Personaliter interdictus, sive generaliter, sive specialiter, & qui causam culpabilem interdicto dedit non sunt sepeliendi in loco Sacro, sed profano. c. 8. de Privileg. in 6. Qui ob interdictum generale loci est sepultus in loco profano, interdicto ablato, debet ejus cadaver in Sacrum locum transferri. Aliquando per interdictum privatur quis ingressu Eccle-

fic. Sed cum hunc effectum non habeat ex le interdictione, requiritur specialis sententia, & quasi novum interdictum. Sic ergo interdictus, nullum Templum auctoritate Episcopali deputatum ad Sacra peragenda potest ingredi: nec ibi audire Divina Officia. *c. 15. 33. q. 2. Nec Sacrum Ordinem exercere; arg. c. 9. de Immun. Eccles.* Potest tamen privatim in Ecclesia orare, & Sacramenta recipere; nam cum hac non exprimitur in iure. *c. 20. b. t. in 6.* Non debet extendi prohibitio, utpotè odiosa, ut contra aliquos tenent *Navar. Man. cap. 27. n. 170. Suar. de Conf. D. 35. sect. 4. n. 15.* Et cum hac prohibitio non sit absoluta, sed limitata, potest sic interdictus in Oratorio Divina Officia audire, vel celebrare; imò, & in camerio, non tamen potest ibidem sepeliri; *arg. c. 20. b. t. in 6. Covar. in C. Alma, p. 2. §. 1. Suar. de Conf. D. 35. sect. 4. ex n. 3.*

429 Interdictum terre possunt Papa, Legatus, Episcopus; & quidem hodie, saltem ex consuetudine, etiam sine Capitali assensu requisito in *c. 1. de Excessib. Pralat.* Item Capitulum Sedevacante, medio ejus Vicario. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 26. & Pralati Regulares; arg. c. 3. de Offic. Ord.* Hodie tamen saltem ex consuetudine solum possunt ligare suos subditos interdictio personali, non tamen locali loca sibi subjecta. *Suar. de Conf. D. 36. sect. 1.* Licet interdictum parziale, & ad breve tempus; quia levis poena est, & facile auferibilis, possit ob culpam venialem imponi, non tamen interdictum absolutum ob rationem contrariam. Interdictum personale speciale potest postulare ordinaria imponi ob aris alieni restitutionem culpabilem contra eum, qui est in culpa; non tamen potest absque speciali licentia Pontificis imponi interdictum locale generale pro delicto commissio à Capite communitatis in retentione aris alieni. *Extrav. 2. b. t. inter com.* Imò nec locale speciale, ut ex ipsa *Extrav.* deducunt, & meo iudicio literaliter. *Covar. in C. Alma, p. 2. §. 1. Avil. de Conf. p. 5. D. 3. dub. 3. concl. 2. & alij contra Navar. Man. cap. 27. n. 168. Suar. D. 36. sect. 3. n. 8.* Et ob identitatem rationis ejusdem *Extrav. 2. b. t. inter com.* nec scilicet innocentes graventur ob causam temporalem, & quæ alia via tolli potest, qualis est repetitio aris injuste detenti, dicendum est, quod nec interdictum personale generale imponi potest ob retentionem aris alieni factam à Capite

communitatis. Ut interdictum locale à jure impostum obliget, & necessarium, quod Judex declaret, & denuntiet interdictum, ita ut nullus possit ignorantiæ prætere, declarando delictum, cui interdictum est annexum, vere esse commissum, & quod interdictum servetur ab eis in quorum gratiam appositum est: si ipsi non servant Ecclesia illud remittet censetur. *c. 20. de Privileg.* Personale autem debet persona specialiter designari, alias fideles eam non tenentur vitare, licet ipse non possit se Divinis ingerere, si tamen à fidelibus requiratur, potest Divina Officia, & Missas, si Sacerdos sit, celebrare. Non solum persona particularis doli capax, sed etiam communitas subjecta interdicens ab eo potest personaliter interdici: quo interdictio comprehenduntur, etiam abientes, & qui post interdictum latum, sunt ejusdem communitatis partes, etiam Clerici, & Religiosi, & Magnates. Interdictum etiam innocentes afficit, non tamen proprie puniuntur, sed Ecclesia jure substituit suos favores, & officia tam nocentibus, quam innocentibus: non tamen comprehenduntur infantes, vel amentes talis communitatis, nisi quia nequeunt in loco Sacro sepeliri, nec illi, qui ibi habeant tantum quasi domicilium, cum sint exteri, nec qui recedunt animo mandandi domicilium. Qui duo domicilia habent, interdictio populo, in quo de presentia habitant, ut partes illius interdictio subjacent, ut contra *Laer. lib. 7. n. 416. & alios tenent Suar. de Conf. D. 32. sect. 2. n. 16. & alij.*

430 Interdictio populo non censetur interdictus Clerus: nec interdictio Clero censetur interdictus populus: imò, nec Religiosi, ut contra *Navar. Man. c. 27. n. 167. Covar. in C. Alma, p. 2. §. 1. n. 8. Suar. de Conf. D. 32. sect. 2. n. 13.* tenent plures, nisi interdictum sub nomine personarum Ecclesiasticarum feratur: nam tunc veniunt Regulares utriusque sexus. *Sylv. V. Interdictum, 2. n. 19. Astropal. tr. 29. D. 5. p. 2. §. 2. alijque OD. cum Laer. lib. 7. n. 410.* Interdictio alicujus Ecclesie Clerico, non creditur Ecclesia interdicta, ac proinde alij Clerici in ea possunt Divina celebrare, & Laici audire, nunquam tamen nisi expressè nominetur, censetur Episcopus interdictus. *c. 4. b. t. in 6.* Interdicta localiter terra alicujus Principis, omnes terræ in quibus ipse habet dominium plenum interdicuntur, etiam si eas postea vendat: secus si ha-

beat,

beat, tantum jurisdictionem, vel usufructum. Et non solum templa existentia, sed si quæ postea extruantur in toto, vel in parte comprehensa censentur, non tamen extenditur interdictum ad terras, quas post ipsum latum, Dominus adquisierit, nisi expressè in sententia continerentur; *arg. c. fin. de Rescript.* Interdicta Diocesi, omnia loca, & Civitates illius, & Cathedralis subjacent interdictio. Interdicta Ecclesia, Capella, & Cæmeterium contiguum continentur. Interdicta Civitate etiam Cathedralis Ecclesia est interdicta; imò, & suburbia, & ædificia continentia, etiam extra ambitum murorum Civitatis, & etiam si non sint subjecta interdictum ferenti, si scilicet adeo contigua, vel proxima sint, ut facile ad ea possent accedere ad Divina percipienda fideles Civitatis interdictæ. Nam si hoc possit fieri, facile sententia interdicti eluderetur, & contemneretur: secus si ei contigua non existant. *c. 17. b. t. in 6. Suar. de Conf. D. 32. sect. 2. ex n. 19. Laer. lib. 7. n. 410.* Interdicta Capella, vel Cæmeterium, non censentur interdicta Ecclesia principalis, nam hæc in accessorio non comprehenditur.

431 Ab interdictio locali, sive generali, sive speciali: & à personali generali solum potest absolvi, qui habet jurisdictionem Episcopalem, in locum, & communitatem. Religiosi verò non possunt absolvi; nam nec locus, nec communitas foro Sacramentali, in quo tantum absolvi possunt, subjiciuntur. *Laer. lib. 7. n. 424.* Ab interdictio personali à jure lato, & non reservato possunt absolvi quicumque Confessarii approbati. Si reservatum sit, solus Pontifex, ut comitor juris absolvi. Ex privilegio, quando delictum est occultum, absolvi in foro interno Episcopi. *Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6.* Et Mendicantes. Ab interdictio lato per Judicis sententiam, sive locale, sive personale sit, solum potest absolvi, qui tulit illud, vel ejus successor, vel delegatus, vel superior. Interdictum locale in Ecclesiam latum cessat, si Ecclesia destruat, etiam si alia de novo extruat: secus est, si affixum sit solo; nam tunc, etiam Ecclesia destructa, durat. Etiam personale cessat, si communitas interdicta extinguitur, quatenus communitas est, etiam si aliquis ex communitate subsistat; dummodo non sit, qui interdictio causam dedit. Nam hic interdictio speciali personali manet ligatus. *Suar. de Conf. D. 38. sect.*

Tom. II.

1. n. 9. §. 2. *Laer. lib. 7. n. 42.* Interdictum, quod pro certo tempore, vel conditione est impostum, etiam absque abolutione cessat tempore elapso, vel conditione posita, medio autem tempore solum absolvi, qui illud tulit, vel ejus successor, vel delegatus, vel superior. *Suar. de Conf. D. 38. sect. 1. num. 3. & alij com.*

432 Qui interdictum violat, committi peccatum grave contra Ecclesie prohibitionem in re gravi operando, nisi inadvertentia, vel materia parvitas excuset. Interdicti violatores, si sint Clerici, varie puniuntur; nam 1. sunt ipso jure irregulares, si celebrent, vel exerceant actum alicujus Ordinis Sacri, si sine personaliter, vel generaliter interdicti, vel hoc in loco interdictio faciant. *c. 1. c. 18. §. 1. c. 20. b. t. in 6. de Sentent. & re judic. in 6. Suar. de Conf. D. 34. sect. 4. ex n. 14. 2.* Amitunt privilegium, quo in loco Sacro possent tempore interdicti sepeliri; *arg. c. 11. de Penit. & remis. 3.* Religiosi, etiam exempti, qui non servant in suis Ecclesijs interdictum locale, quod servatur in Matrice, admitendo ad Divina interdictos, vel ea celebrando, excommunicationem incurrunt. *Clem. 1. b. t. Clericus, vel Religiosus, vel Monialis violans interdictum reale, neque eligere, nec eligi, nec postulare, nec postulari ad Dignitates Ecclesiasticas possunt. c. 18. b. t. in 6.* Etiam Clerici suspendendi sunt à beneficio, si interdictum locale violent; *arg. c. fin. de Excessib. Pralator.* Qui hominem interdictum sepelit in loco Sacro non interdicto, vel non interdictum in loco interdicto majorem excommunicationem incurrunt. *Cl. 1. de Sepult.* Non tamen hujus cadaver exhumandum erit, sive bona, sive mala fide sepultum sit, in loco interdicto: dum persona sepulta non sit speciali censura affecta. Ecclesia namque solum prohibet actum aliquem sepeliendi in loco interdicto, non verò effectum, seu terminum ejus postquam jam est factus: nec prohibet fidelium corpora temerè sepulta in loco Sacro manere, licet interdictus sit. *Suar. de Conf. D. 35. sect. 1. n. 20.* Laici specialiter interdicti, & denuntiati, si non exeunt de templo, postquam jursi sunt, ut Missa celebraret, excommunicationem Pape reservatam incurrunt, & quicumque impediunt, ne excommunicati, vel interdicti nominatim exeant ex loco Sacro, vel si pulsatis campanis Populum, ad audienda Divina in loco in-

Ddd 2

ter,

terdicto convocent; vel si Clericum, ad celebrandum publicè in loco interdicto compellant. *Cl. 2. b. t.* Alios casus afferunt. *Suar. de Conf. D. 34. sect. 5. & alij com.* In nostra Hispania, qui habent Bullam Cruciatam possunt tempore interdicti, sive Apostolicum, sive Ordinarium sit, Missam audire, in Ecclesijs aut Monasterijs, aut in Oratorio privato assignato, & approbato ab Ordinario. Etiam possunt celebrare Missam, & alia Officia Divina, vel per se, si Presbyteri fuerint, vel curare, ut alij celebrent coram se, & in præsentia suorum familiarium, & consanguineorum, usque ad 4. gradum. Deinde valent suscipere Eucharistiam, & reliqua Sacramenta excepto die Paschatis, modo ipsi non dederint causam interdicti, nec per ipsos steterit, quod non fuerit sublatum, & quotiescumque dicto Oratorio ad dictos effectus utantur, debent orare mentaliter, aut vocaliter ad arbitrium suum pro victoria contra infideles, & unionè inter Principes Christianos. Etiam tempore interdicti possunt sepeliri in loco Sacro cum moderata funeri pompa. Qui habet Bullam, tenetur die festo Missam audire tempore interdicti, quia cum possit Missam audire virtute Bullæ tenetur eam audire virtute præcepti, quamvis aliqui censent ad hoc non teneri, ne alias quis privilegio uti cogatur, & profectò eo cogitur uti, quia per ipsum potest auferri impedimentum ad adimplendum præceptum Ecclesiæ. Nec tunc audire Sacrum censetur purum privilegium; sed privilegium mixtum cum præcepto, & in quo quidem ratio præcepti prævalet.

433 Quia aliquando crescente contumacia fidelium, non sufficiunt alia remedia ordinaria, etiam censurarum, ad infringendam eorum proterviam, est necessarium novis morbis nova applicare medicamenta: & propterea ad significandum maiorem, tristitiam, & afflictionem Ecclesiæ ob gravissimam injuriam sibi, & honori Divino illatam, solent Prælati Ecclesiastici habentes jurisdictionem in foro externo, ut Pontifex, Episcopus, Capitulum, Sedevacante, vel ejus Vicarij alijque habentes jurisdictionem quasi Episcopalem indicare Cessationem à Divinis: que est prohibitio Ecclesiastica Clericis imposta, ut abstineant à Divinis Officijs in aliquo loco. Etiam vocatur suspensio organorum, & laudis divinæ, sic suum maiorem, & afflictionem significabant Israelitæ in *Psal. 136. Super*

flumina Babylonis, illis sedimus, & steterimus: cum recordamur tui Sion, in salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Ut valide, & licite indicatur, debet esse pro delicto gravissimo, & notorio notorietate facti, & delinquens debet prius moneri, an velit satisfactionem præstare, & tradendum est instrumentum authenticum indicationis cum expressione causæ, ob quam imponitur, ipsi contra quem indicitur. Qualibet ex his conditionibus deficiente cessatio erit nulla; *arg. e. 8. de Offic. Ordin. in 6.* Non est quidem Censura Ecclesiastica, licet valde affinis sit interdicto: nec à jure, sed solum ab homine imponitur, & immediate afficit locum: personas autem solum mediata ratione loci: vel Generalis, ut Provinciæ, Civitatis, vel Villæ: vel particularis, ut Ecclesiæ, Oratorii, vel Cameterij: ac proinde etiam innocentes comprehendit. Et eam, si à Matrice servetur, etiam Religiosi exempti tenentur sub excommunicatione majori ipso facto incurrenda, servare. *Cl. 1. b. t. Castropol. tr. 29. D. 5. p. 9. §. 4.* Si cessatio sit particularis, & non servetur à Matrice nulla poena imposita in jure, nec irregularis fit, qui cessationem hanc violat, cum in nullo jure sit statuta talis irregularitas, licet graviter peccet ob transgressionem Legis Ecclesiasticæ in re: gravissima. *Navar. Man. cap. 27. n. 188. Suar. de Conf. D. 39. sect. 1. Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. cap. 6. Castropol. tr. 29. D. 5. p. 9. §. 1. alijque DD.* Et quidem eisdem, & eodem modo, ac in tempore interdicti. *Cov. in C. Alma, p. 2. §. 4. Suarez D. 39. sect. 2.* Cessatio à Divinis privat Divinis Officijs, & Ecclesiastica sepultura. *c. 11. de Sponsal.* scilicet solemniter: nam valde probabile est, Clericos, & Laicos posse in Ecclesia sepeliri, dum sine Divinorum Officiorum solemnitate fiat, quia hoc nullibi invenitur prohibendum. *Suar. de Conf. D. 39. sect. 2. n. 31. Laym. Castropol. & alij.* Nec possunt Clerici uti facultate in *c. fin. b. t. in 6.* Concessa pro Interdicto, ut scilicet clavis januis, & non pullatis campanis celebrent Divina: nam cessatio non est interdictum, quin ob graviores causas, quam interdictum imponitur: ac proinde non bene fit illatio. *Nav. Man. cap. 27. n. 188. Suar. de Conf. D. 39. sect. 2.* Nec privilegiatus ad divina celebranda pro tempore interdicti censetur privilegatus pro tempore cessationis. *Navar. n. 189. Suar. &c.* Tempore cessationis possunt

celebrari Divina in festis Natalis Domini, Pasche, &c. nam cum hoc à Pontifice concedatur, *c. 24. b. t. in 6.* non potest certe ab inferiori prohiberi. Etiam potest semel in hebdomada in qualibet Ecclesia Missa celebrari pro conficienda Eucharistia, & celebrari tot formæ debeat, quot pro infirmis censentur necessaria. Possunt etiam Clerici in Ecclesiabini, & bini recitare horas: nam hæc recitatio nec tempore interdicti prohibetur, quia non publica, & solemnitas, sed privata est. *Suar. de Conf. D. 39. sect. 2. n. 14.* Capitulum non potest, nisi ex privilegio, vel consuetudine cessationem indicare, debetque esse de consensu Episcopi, vocarique debent omnes, qui pro electionibus debent vocari, & consultatione facta decernitur cessatio, si in eam major pars Capituli consentiat. Si aliqua ex his conditionibus desit, nulla erit cessatio. *c. 8. de Offic. Ordin. in 6.* Et has duas ultimas conditiones debet etiam observare Capitulum, Sedevacante, saltem quando per se, & non per Vicarium eam indicit. Cessationem profectò relaxare valet, qui eam imposuit: ejus successor, delegatus, vel Superior. Quin & sine expressa relaxatione cessat, si qui eam imposuit, eam non mittat Romanam, postquam intra mensem partes non se composuerunt. *c. 8. de Offic. Ordin. in 6.*

Non tamen tollitur, si stet per etiam, contra quem est lata, non mitti Romam. Deinde: postquam utraq; pars Romam misit, potest qui eam imposuit, eam relaxare: nam ejus jurisdictione in hoc casu non suspenditur. *Suar. de Conf. D. 37. sect. 3. ex num. 12.* Quando justè, & valide imponitur; tenetur, qui ei causam dedit, damna innocentibus inde secuta, compensare, scilicet, Canonice, & Clericis stipendia, quæ ex Missis, & Divinis Officijs adquisissent, & insuper est condemnandus in aliqua quantitate convertenda in augmentum Divini cultus; *arg. c. 2. c. 8. de Offic. Ordin. in 6. Suar. de Conf. D. 39. sect. 3. n. fin.* Si tamen sine justa causa imposita est, qui eam imposuit damna compensare tenetur. *Suar. de Conf. D. 39. sect. 3. n. 15.*

434 Ad materiæ complementum necessarium videbatur censuras in jure inlicitas explicare; sed quia angustia temporis, & operis, hoc non permittit, Lectores remitto ad DD. qui de hoc latiori calamo scribant, præcipue ad *Eximium Suarez*, qui eximè hæc pro suo more tractat. Interim tamen Catalogum censurarum attexere decrevi, & à Bullæ Cœnæ censuris incipiam, eam ad litteram referendo, quia celeberrima est, & frequenter in eam, saltem disputatione, impingimus, ut ejus litera inspecta solidius quæstiones emergentes resolvamus.

NOTA,

Bullam Cœna in eis, qua Regiam potestatem, seu auctoritatem laedere possunt, non observari in his Regnis.

BULLA COENÆ.

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia: Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam Fidei dei inviolatam integritatem, publicam pacem, & justitiam, Deo auctore, tueri, veterum, & solemnem hunc morem sequentes.

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus; ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, quocumque Hulsitas, Vicklephistas, Lutheranos, Zuingianos, Calvinistas, Ugonotos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide apostatas, ac omnes, & singulos alios hereticos, quocumque nomine, censentur, & cujuscumque sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, futuros, & generaliter, quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ

scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore: necnon Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Rom. Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel ecedunt.

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint: Universitates verò, Collegia, & Capitula, quocumque nomine nuncupentur, interdum: ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Con-

etiam appellantes, necnon eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Pyrratas Curfarios, & Latrunculos maritimos discurrentes Mare nostrum; præcipue à Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

§. 4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcumque navibus tempestate, seu in transversum (ut dici solet) iactatis, vel quoquomodo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in litore inventa cuiuscumque generis bona, tam in nostris Tyrreni, & Adriatici, quam in cæteris, cuiusque maris, regionibus, & litoribus surreperint: ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.

§. 5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas præterquam in casibus sibi à jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permittis imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

§. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Rom. Pontificis signatarum, necnon falso fabricantes litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falso signantes supplicationes hujusmodi, sub nomine Rom. Pontificis, seu Vice-Cancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

§. 7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel Hæreticos per nostras, sive hujus Sanctæ Sedis sententias expressè, & nominatim declaratos, deserunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, itannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, cannadem, funnes, tam ex ipso cannabe, quam alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impug-

nant, necnon illos, qui per se; vel alios de rebus statum Christianæ Reipub. concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos in damnum Catholica Religionis certiores faciunt, illisque ad auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscumque privilegijs quibusvis personis, Principibus, rebus publicis per nos, & sedem prædictam hæcenus concessis de hujusmodi prohibitionem expressam mentionem non facientibus.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impediētes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Rom. Curie necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Rom. Curiam adducuntur, vel afferantur prohibent, impediunt, seu perturbant: seu hæc facientes defendunt per se, vel alios cuiuscumque fuerint ordinis, præminentie, conditionis, & status, etiam si Regali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent; necnon illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam à nobis, vel nostris iudicibus non habentes, illam sibi temere vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romiperas, seu Peregrinos ad Urbem causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

§. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedesque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis Diocæsihus, territorijs, terris, seu Dominijs ejicientes: necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se

vel,

vel per alios personas Ecclesiasticas quascumque, vel Sæculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotijs recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, seu etiam Auditores, vel Judices superdictis causis, vel negotijs deparatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant: seu qui per se, vel per alios directe, vel indirecte delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non veniunt, cuiuscumque præminentie, & dignitatis fuerint.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, tam Ecclesiasticos, quam Sæculares cuiuscumque dignitatis, qui præterentes frivolum quandam appellationem à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam iustitiam concernentium: necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum à Nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nuntijs, Presidentibus, Palatij nostri, & Cameræ Apostolicæ, Auditoribus, Commissarijs, aliisque Judicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias Sæculares, & Laicam potestatem recurrunt, ab ea, instante etiam Filii Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi, admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quivè illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarij, super hujusmodi litterarum, & processuum executione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notorios Executores, & Subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis, ejiciunt, bonis spoliant, perterriti sunt, concutiunt, & comminantur per se, vel per alium; seu alios publice, vel occultè, quivè alias quibuscumque petitionis in genere, vel in spe-

cie, ne pro quibusvis eorum negotijs prosequendis, seu gratijs, vel litteris impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras à dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumunt.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui per se, vel alios autoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apostolicarum prætextu beneficias, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spirituales annexas, ab Auditoribus, & Commissarijs nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant, illorumque cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam Judices interponunt: quivè partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ac revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolvi per statutum, vel alias compellunt, vel executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsa ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationem hujusmodi coram nobis, & Sede Apostolica legitime prosequantur, etiam si talia committentes fuerint Præsidentes Cancellarium, Consiliorum, Parliamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Consilii Ordinarij, vel Extraordinarij quorumcumque Principum Sæcularium, etiam Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgunt Dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij fuerint.

§. 15. Quivè ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque coram se ad

suum

faum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quæsito colore: necnon qui Statuta, Ordinationes, Constitutiones, Pragmaticas, seu quævis alia Decreta in genere, vel in specie ex quavis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujuscumque consuetudinis, aut privilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint: vel factis, & ordinatis usi fuerint, undè libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum Juribus, quomodolibet directè, vel indirectè, tacite, vel expresse præjudicatur.

§. 16. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Judices Ecclesiasticos Ordinarios, quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum Agentes, Procuratores, Familiares, necnon consanguineos, & affines, aut alias impediunt, quominus sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundum quod Canones, & Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & Decreta Conciliorum Generalium, & præferta Tridentini statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum, quorumcumque sententias, vel decreta, aut alias fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias faculares recurrunt; & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam poenalia, Ordinarijs, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

§. 17. Quivè jurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus, ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

§. 18. Quivè collectas, decimas, tales, præstantias, & alia onera Clericis, Prælati, & alijs personis Ecclesiasticis,

ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposta, etiam à sponte dantibus, concedentibus, recipiunt, necnon, qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare, non veniunt, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij Potentatus quicumque, etiam Regnis, Provincijs, Civitatibus, & Terris quoquomodo Prædictes, Consiliarij, & Senatores, aut quavis, etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per Sacros Canones, iam in Lateranensi novissime celebrato, quam Concilij Generalibus edita, etiam cum censuris, & poenis in eis contentis.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque Magistratus, & Judices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, & banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo sine speciali, specifica, & expressa hujus Sedis Apostolicæ licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressis extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiam si talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vice-Cancellarij, aut quovis alio nomine nuncupati.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directè, vel indirectè, sub quocumque Titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, ac detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliae, Insulas Sardiniae, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thufcia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venetianum, Subinensem, Marchiam Anconitanam, Massæ Trebaria, Romandiola, Campania, & Maritimas Provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis, Anulphorum, &

vitæque nostras Bononiam, Casenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castellum, Tudertum, Ferrariam, Comacium, & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaque Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjecta, necnon supremam jurisdictionem in illis Nobis, & idem Romanæ Ecclesiæ competentem defacto usurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præsumunt: necnon adhaerentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

§. 21. Volentes præsentibus nostris processus, ac omnia, & quæcumque his litteris contenta, quousque alij hujusmodi processus à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiat, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino fortiri.

§. 22. Cæterum à prædictis sententijs nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus: nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatus, satisfaciendo cautione prælita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscumque Ecclesiasticis, Sæcularibus, & quorumvis ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsique ordinibus, & eorum Monasterijs, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs, necnon Laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujuscumque Concilij decreta verbo, litteris, aut alia quacumque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum.

§. 23. Quod si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere defacto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualitèr, & temporalitèr, prout expedire noverimus, processuri.

§. 24. Declarantes, ac protestantes, quancumque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis, cum

vero proposito, ulterius similia non committendi desisterint: ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præmittitur statuta fecerint, nisi prius statuta, & ordinationes, constitutiones, pragmatias, & decreta hujusmodi publice revocaverint, & ex Archivij, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel successorem nostrorum, quancumque tempore continuatam in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscumque juribus Sedis Apostolicæ, ac S. R. E. undecumque, & quancumque quæsitis, vel quarendis, nullatenus præjudicari posse, aut debere.

§. 25. Non obstantibus privilegijs, indulgentijs, indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, supra dictis, vel eorum alicui, seu aliquibus alijs cujuscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præminentiae fuerint, etiam si ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provincijs, Civitatibus, seu locis à prædicta Sede ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriis, derogatorijs concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdicti non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegijs, indulgentijs, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus proprijs, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem: necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac prescriptionibus, quantuncumque longissimis, & alijs quibuslibet observantijs, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominus includantur in eis se juvare valeant, vel tueri.

Quæ omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores ac si ad verbum, nihil penitus omisso, intererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino revocamus, cæteraque contraria quæcumque.

§. 26. Ut verò præsentis nostri processus, ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes valvis Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apóst. de Urbe appendi faciemus, ut ij, quos processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint executionem prætere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam parenter omnibus publicatur.

§. 27. Insuper, ut processus ipsi, & præsentis literæ, ac omnia, & singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque Civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum ordinariis, & Prælatibus ubilibet constitutis per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut per se, vel per alium, seu alios præsentis litteras postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesijs suis, cum in eis major populi multitudo ad divina conveniret, solemniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuntient, & declarent.

CATALOGUS EXCOMMUNICATIONUM.

Lata, & reservata in Bulla Cæna.

1. Contra Hæreticos, eorumque credentes, & Fautores, ac Schismaticos, item eos, qui legunt, retinent, imprimunt, aut defendunt libros Hæreticorum de Religione tractantes, vel Hæresim continentes.
2. Contra eos, qui appellant à Pontifice ad futurum Concilium.
3. Contra Piratas in Mari Romano, eorumque fautores.
4. Contra eos, qui surripiant bona naufragorum.
5. Qui ponunt, augent, exigunt nova, & injusta tributa, pedagja, & gabelas.
6. Qui falsificant litteras Apostolicas.
7. Qui deferunt equos, arma, aliaque instrumenta, usibus Bellicis idonea, ad Turcas, aliosque Infideles: item qui eis (etiam Hæreticis non toleratis) nuntiant statum Reipublicæ Christianæ in

§. 28. Ceterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, alique locorum Ordinarij, & Ecclesiarum Prælati, Rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri Sæculares, & quorumvis ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quavis auctoritatè deputati, trasumptum, præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant.

§. 29. Volentes earundem præsentium trasumptis etiam impressis, Notarij publici manuscritis, & sigillo Judicis Ordinarij Romanæ Curie, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fidem in judicio, & extra illud, ubique locorum adhibendam fore, quæ ipsis presentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, declarationis, profectionis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ, &c.

hujus perniciem, aut alio modo consilium, auxilium, favorem præstant.

8. Qui impediunt, ne Curie Romanæ victualia, aliaque necessaria deferantur.

9. Qui vulnerant, detinent, deprædantur, &c. accedentes, vel recedentes à Romana Sede, vel in Curia Romana commorantes.

10. Qui vulnerant, detinent, spoliant, &c. Romipetas, & peregrinos accedentes ad Urbem, vel ibi commorantes, aut ab ea recedentes.

11. Qui vulnerant, percipiunt, &c. Cardinales, vel alios Prælatos, & Legatos Sedis Apostolicæ.

12. Qui percipiunt, spoliant, &c. recurrentes ad Romanam Curiam pro suis negotijs.

13. Qui à gravamine, & executione litterarum Apostolicarum frivole appellant,

lant, aut alias ad Curias Sæculares recurrunt, vel accidentes ad Romanam Curiam pro expeditione negotiorum, & gratiarum impediunt.

14. Qui causas à Judicibus Ecclesiasticis avocant, vel eorum cursum, & executionem litterarum Apostolicarum impediunt.

15. Qui trahunt, vel trahi curant personas Ecclesiasticas ad Sæculare Tribunal; item, qui condunt quovis modo, vel quasi colore statuta libertati Ecclesiasticæ repugnantia, aut ipsam utuntur.

16. Qui impediunt, ne Prælati Ecclesiastici sua jurisdictione utantur.

17. Qui sine legitima Superiorum licentia usurpant, vel sequestrant redditus, fructus, & proventus ad Pontificem, vel alias personas Ecclesiasticas pertinentes.

18. Qui imponunt decimas, collectas, aut alia onera personis Ecclesiasticis.

19. Judices Sæculares, qui in causis capitalibus, seu criminalibus Clericorum se interponunt.

20. Qui occupant bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, vel supremam ejus jurisdictionem usurpant.

Excommunicationes in reliquo jure Pontifici reservata.

Contra omnes.

435

1. Percutientes Clericum, vel Monachum. *C. Si quis suadente, 17. q. 4.*

2. Perseverantes per annum in excommunicatione lata à Delegato Papa. *C. Querenti, de Officij delegat.*

3. Falsarios litterarum Apostolicarum. *C. ad Falsariorum, de Crim. falsi.*

4. Habentes litteras Apostolicas falsas, & illas non destruentes. *C. Dura, eod.*

5. Incendiarios à Judice excommunicatos, & denunciatos. *C. Tua nos, de Sent. excom.*

6. Sacrilegos effractores Ecclesiarum. *C. Conquesti, eod.*

7. Communicantes in crimine cum excommunicatis à Papa. *C. Nuper, eod.*

8. Eligentes potentia insignem in Senatorem Romanum. *C. Fundamenta, de Elect. in 6.*

9. Vexantes eos, qui censuram in

Tom. II.

aliquos tulerunt. *C. Quicumque, de Sent. excom. in 6.*

10. Absolutus ab excommunicatione sub conditione, & non implentes. *C. Bos qui, eod.*

11. Offendentes Cardinales. *C. Felicis, de Penis.*

12. Exigentes tributa à personis Ecclesiasticis. *C. Clericis, de Immunit. in 6.*

13. Violantes interdictum modis prohibitis. *C. Gravis, de Sent. excom.*

14. Falsificantes monetam Regis Galliarum. *Extrav. Joan. XXII. Proadens, de Crim. falsi.*

15. Exenterantes corpora defunctorum. *Extrav. 2. de Sepult.*

16. Violantes interdictum Sedis Apostolicæ. *Extrav. Etisi, de Penit.*

17. Conspirantes in personam Romani Pontifici. *Ibid.*

18. Dantes, & recipientes, ob ingressum Religionis. *Extrav. comm. 1. de Simon.*

19. Simoniacos in Ordine, & Beneficio. *Extrav. 2. eod.*

20. Taxantes opinionem de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis. *Extrav. Grave, de Reliq.*

21. Dantes, & recipientes pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam. *Extrav. 1. de Sent. excom. Bulla Bonifacij VIII. 1. & Gregor. XIII. 24.*

22. Offendentes Rectores, seu Præsides Provinciæ Marchiæ Anconitanæ. *Extrav. Joan. XXII. Dierum, de Pen.*

23. Occupantes bona Cardinalium tempore Conclavis. *Bulla 16. Leonis X.*

24. Mentientes personas in Litteris Apostolicis, ut earum expeditionem gratis allequantur. *Bulla Leonis X. 27.*

25. Impedientes executionem litterarum Sacræ Poenitentiarie. *Bulla Julij III. Rationi congruit. 1.*

26. Simulantes, & supponentes, se alios esse, pro obtinendis Beneficijs à Dataria. *Bulla 12. Pauli IV. inter ceteras.*

27. Committentes duellum, & illud consulentes. *Concil. Trident. cap. 19. sess.*

28. de Reform. *Bulla Clem. VIII. 2. Illius vice.*

28. Mittentes litteras, aut Nuncium in Conclavi, vel inde recipientes. *Bulla Pij IV. 63. In eligendis.*

29. Occupantes bona Ecclesiarum, Monasteriorum Pietatis, seu alterius loci Pij, vel impediendes, ne ab ijs, ad quos jure pertinent, percipiuntur. *Concil. Trident. cap. 13. sess. 22. de Reform.*

Ecc 2

Foe 2